

www.e-rara.ch

**Ioannis Cantacvzeni Constantinopolitani Regis Contra Mahometricam
fidem Christiana & orthodoxa assertio**

Johannes

Basileae, Anno Salvts M. D. XLIII. Mense Martio

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-76865>

Quod post Domini assumptionem duodecim discipuli illius totum orbem docuerint [...] Apologia tertia.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

QVOD POST DOMINI ASSVM-
PTIONEM DVODECIM DISCIPVLI ILLIVS
totum orbem docuerint, miraculis simul fidem suam confir-
mantes. Tum de Deipara uirgine, de quaestione
Christi, cruce & imaginibus.

APOLOGIA TERTIA.



vod itaq; Christus filius Dei, & Deus & homo à sanctis
simul & prophetis adeoq; ab ipso Deo patre prædicatus
sit, sufficienter in præcedētibus demonstrauius. Nunc
uero agedum reliquis etiam discussis, inspiciamus ea que
hæc insecuta sunt, negotia. Christus enim cum prædixisset
se ascensurum ad patrem suum, in ipsa assumptionis
hora dicit sanctis suis discipulis, & apostolis: Profecti in
mundum uniuersum annunciate Euan-gelium omni creaturæ. Qui credide-
rit & baptizatus fuerit, saluabitur: qui uero non crediderit, condemnabitur.
Vos uerò desidete Hierosolymis, donec induamini uirtute ex alto. Et cum a-
dorauissent, abierunt. Post dies uero aliquot, cum apostoli unanimiter in
eadem domo considerent, factus est sonus ceu flatus alicuius uehementis: &
repleti sunt omnes diuina gratia. Non quod Christo adhuc in terris agenti
impossibile fuerit gratiam illis dare: sed ut omnes intelligerent, unum Deum
esse & patrem & filium, & unam eandemq; patris & filij naturam & poten-
tiam. Dedit enim Christus apostolis cum in terris ageret, uirtutem & potesta-
tem calcandi super serpentes & scorpiones, & aduersus omnem potestatem ini-
mici, id est diaboli: misit uerò nunc etiã Deus pater illis gratiã suam. Et im-
pleti diuina gratia, ut dictum est, apostoli, singuli illorum ea cognouerunt,
quæ naturam excedunt, omnes scilicet omnium gentiũ quæ sub cælo sunt
linguas, quàm exactissimè. Causam uerò huius inspicite. Ut nimirum ag-
grederentur totius mundi doctrinam & functionem, data est ipsis om-
nium linguarum cognitio: ne interprete indigerent, sed ut ipsi & inter-
pretes essent, & doctores. Et docere cœperunt initio facto à Hierusalem.
Sic enim scriptum erat ab Esaia: E' Sion egredietur lex, et uerbum Domini
de Ierusalem. Iudæi uerò adhuc corde occæcato præditi, non intellexerunt. et
impletum est in ipsis, quod in lege scribitur: Linguis nouis, & alijs labijs lo-
quar populo isti, & neq; sic audient me, dicit Dominus. Et apostoli quidem
populum docentes, iusserunt in Christum credere, illumq; confiteri, quod sit
filius Dei uiuentis. Et facta sunt per illos miracula, & prodigia multa, non ta-
men ea qua Christus faciebat, autoritate & potestate, sed tanquam à seruis
& ministris. in nomine enim Christi miracula edebant, sic dicendo: In no-
mine Iesu Christi uisum recipe: & uisum recepit cæcus: In nomine Iesu Chri-
sti filij Dei resurgat mortuus, & surrexit. Et hoc idem dixerunt cum sanare-
tur paralyticus. Quin in nomine Christi sanabant omnem morbum: & quo-
tidie multæ hominum, turbæ in Christum crediderunt. Tandem diuisi duo-
decim apostoli peragrauerunt totum orbem. Impij uerò eosdem multis ma-
lis & damnis afflixerunt, aliosq; in Christum credentes, ut quotidie diuersis
in locis magnam occiderent Christianorũ multitudinem. Vniuersus enim
mundus idolatriæ deditus erat. Sed uno Christiano occiso, decẽ corã tyran-
nis

nis emerferunt: & si decē occiderentur, exurgebant centū: si mille, apparebāt decē millia: si decē millia, uiginti millia succedebant in martyriū. Ne uerò uerba mea à multis ceu ficta esse iudicentur, minus dico quàm ueritas rei postulet. Sapius enim uno die crediderunt hominum quinquaginta millia, & amplius. Et quemadmodum à creaturis ad ueram cognitionem peruenit Abraham iustus, & seruiuit coluitq; solum Deum uerum: sic etiam per Christi & apostolorum miracula gentes similiter in ueritatis cognitionem peruenerūt, eandemq; coluerunt, & perfecte confessi sunt Christum uerum esse mundi saluatorem, filiumq; Dei uiuentis, & uerum Deum. Vnde igitur hoc factum est? qua uirtute & potētia? quibus opibus & magnificentia? per quos nam philosophos & oratores? Per nullum prorsus: sed sola Dei uirtute, quam induerant duodecim apostoli, rudes antea, agrestes & infirmi. Sic enim dixerat illis Christus: Ecce mitto uos tanquam oues in medio luporum: ne solliciti sitis, quid dicatis, aut quid loquamini coram ipsis. Ego enim dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, nec contradicere omnes qui sese opponunt uobis. Et sic uenisse legimus. Omnes enim philosophi, omnes rētores, omnes magi, coram apostolis ceu pisces muti apparuerunt. Tunc impletum est illud Dauidis uaticinium: Et loquebar in testimonijs tuis coram regibus, & non confundebar. Quin & illud Esaia: Quam speciosi sunt pedes euangelizantium pacem, qui annunciant bona. Diuisi itaq; sunt apostoli, & dispersi in uniuersam terram: singuliq; in illis locis, ad quos peruenerāt, docuerunt euangelium. Et impleta est Dauidis prophetia dicens: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in terminos orbis uerba ipsorum. Considera igitur, uide & attende diligenter horum omnium quae hic scripta sunt, ne unicam quidem dictionem aliunde quàm e Mose, Dauide, prophetis & Euangelio transcriptam esse, quae omnia per sanctis, iustis & bonis ipsi quoq; Musulmani uenerari solent. Ipse enim Mahomet, quem omnes Musulmani praēptorem suum agnoscunt, non potuit in uniuersum ueritatem occulere, uerum libros hos sanctos esse testatur. Quod si igitur libros dicunt sanctos & bonos, ea uerò quae in his continentur, Musulmani contemnunt, necesse omnino fuerit ut cuncti homines illos condemnent, quin potius (si uerum dicere oportet) ut illorum ceu monte captorum misereantur, quod uos nimirum tot tantisq; donati occasionibus, quibus ueritatem & inuenire & cognoscere licet, quod Christus filius & uerbum Dei sit, relicta tamen ueritatis uia, à scopo uero aberraueritis. Sed redeundum eò unde digressi sumus.

Qui itaque apostolos persequebantur, & sua premebant tyrannide, hi ipsi tandem in Christum credebant, & confitebantur hunc esse filium Dei uiuentis, imò apostolorum loco illi ipsi praēcones nominis Christi reddebantur. Et omnes quidem apostolos morte, qua Christum cōfessi sunt, sublatos esse, uerum est: non tamen in hos tantum sauerunt impij, quantum in illos qui ab idololatria ad Christum conuersi fuerant. Atroces enim de illis poenas sumebant. Membratim dissecabant eos: & quasi uno momento salui & integri apparuerunt. In caminos deiecerunt: sed tanquam aquas ingressi seruabantur. Plumbum liquefactum coacti bibebant: sed non ladebantur. In maris profundum demergebant: & in littus euaserunt. Et quis nam (ut dici solet) martyrum tormenta & tentationes posset exponere? Tandem autem mortui sunt, & tormenta uoluptatum loco, & mortem pro

Matt. 10.

“

“

“

Psal. 118.

Esa. 52.

Psal. 19.

uita æstimauerunt, ostenditq; per martyres Christus suam ipsius diuinitatem & potentiam, quin fidem quoq; & desiderium, quo erga illum tenebatur. Eo enim, quod salui & illæsi seruarentur martyres Christi, apparebat potentia & diuinitas: per mortem uero quam sustinebāt, illorum in Christum fides elucebat & charitas, quemadmodum postea planius demonstrabitur. Insignis enim certantium fortitudo, & horum fides instar facis fulgebat. Qui enim illos seruabat illæsos ex talibus tantisq; tormentis, poterat omnino, ne morentur, efficere. Sed quemadmodum in proprio corpore Christus fecit, ut ad solam qua Hebræos compellauit interrogationem, Quem quæritis? omnes conciderent: cumq; ad eosdem diceret, Sinite hos abire, discipulis dimissis, se Christum scilicet apprehenderent: sicut inquam, in hoc potentia simul & uoluntas illius apparuit, ita etiam euenit in martyribus. seruabantur enim illæsi, diuina uirtute & potentia, in magnis pœnis & tormentis: nihilominus tamen mortui sunt, ut illorum in Christum fides appareret, & uiuerent in æternum uitam uere beatam & immortalem. His igitur uisis, qui idolis seruibāt, & intelligentes simul opera esse plus quàm naturalia, quæ Deus nimirum operaretur, conuersi sunt omnes reges, omnes præsides, omnes tyranni, uniuersa deniq; multitudo terram mareq; inhabitans, Christum coluerunt, confessi sunt & crediderunt hunc filium Dei, & Deum uerum esse: & impletum est Dauidis aliorumq; prophetarum oraculum, dicens: Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient illi, omnes gentes illum beatum dicent. Etiam si uerò quidam inueniantur, qui Christum nō credant filium Dei esse, non tamen propter hos prophetas mendacij arguere licebit: sed quemadmodum sol quidem totum orbem illuminare dicitur (quod & reuera fit) cæci tamen solē nec uident, nec ab hoc illuminantur: ita etiam in Christo solet euenire. Omnes reges terræ & uniuersus orbis adorauerunt illum, & Deum esse confessi sunt: qui uero illum non adorauerunt, uel qui prius quidem hoc adorato postea pœnitentia ducti, dogmata eius impia esse æstimauerunt, tunc sanè ueritatis cognitione non multum iuuantur. Quam ob rem: Omnis enim homo dum uiuit, opera facit quæcunq; uult, & animo concipit tam ad salutem suam tendentia, quàm ad damnationem et pœnam. Pœnitentiæ uero post mortem locus non est reliquus. Si igitur Christi fideles in boni cognitionem peruenerint, & crediderint in ipsum, en inuenerunt ueritatis uiam, & salutem suam acquisuerunt: si uero in impietate sua perseverauerint, quid de illis postea fiat: qui intelligit, intelligat. Porro Dauid rursum sic dicit: Omnes gentes plaudite manibus, iubilare Deo in uoce exultationis. Quoniã Dominus altissimus, terribilis, rex magnus super uniuersam terram. Psallite Deo nostro, psallite. Psallite regi nostro, psallite. Quoniam rex uniuersæ terræ, Deus. Psallite prudenter. Regnauit Deus super gentes. Deus sedet super thronum sanctum suum, principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham. Quoniam Dei fortes terræ uehementer eleuati sunt. Nunc uero diligenter quæ dicuntur perpendito. Omnes gentes, inquit, plaudite manibus, iubilare in uoce exultationis Deo. Non Iudæos solos aduocat, nec Ismaëlitas, nec alios alicuius partis terræ incolas, sed omnem quæ soli subiacet terram conuocat ad hanc spiritualem exultationem. Cum enim dicit, Omnes gentes, nullum hominem ex omnibus istis exclusit. Causa: Quia Dominus altissimus, terribilis, rex magnus super uniuersam terram. Sed dicat aliquis, Quando nam, ô bone Dauid, Deus non erat altissimus?

quis? quando non erat terribilis & magnus? Psallite Deo nostro, psallite. Psallite regi nostro, psallite. En uides hic aliud explicatu difficilius, qui rem inexplicabilem interrogauisti, quando nempe Deus non fuerit altissimus, magnus & terribilis? Respondet enim, Psallite Deo nostro, psallite. Psallite regi nostro, psallite. Et rursus Dauid inquit: Quoniam rex uniuersae terrae Deus. Psallite prudenter. Regnauit Deus super gentes. Deus sedet super thronum sancti sui. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham. Quoniam Dei fortes terrae uehementer exaltati sunt. Sed nunc agedum inspiciamus, quid nam sibi uelit propheticum oraculum.

Psalmus quidem carmen est concinnum, Deo consecratum. Et quemadmodum aliquis à trophæo aut uictoria reuersus, præ ingenti gaudio nihil aliud dicit, quam Vicimus hostes: rursus uero interrogatus, Quomodo & qua ratione illi uictoria obuenerit, eadem illa respondet, Vicimus hostes, uicimus inquam. Eodem modo propheta prudentibus oculis gentium conuersionem perspicens, exclamauit: Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in uoce exultationis. id est, & qui antea fideles fuistis, & qui postea demum credidistis, omnes simul plaudite manibus: neque simpliciter sine ratione & ordine manibus uestris plaudatis, sed cum uoce exultationis, & laetitiae. Quapropter propheta quoque uoluptate ceu abreptus, dixit: Psallite Deo nostro, psallite. Psallite regi nostro, psallite. Quoniam Dominus altissimus, terribilis, rex magnus super uniuersam terram. Et quasi ipse exponens sua uerba, addit, Regnauit Deus supra gentes: id est, gentes prius diaboli tyrannide pressae, relictiis nunc patrijs suis dijs, idolis scilicet inanimatis & mutis, declinauerunt, coluerunt & crediderunt soli uero & uiuenti Deo, illiusque regno subiectae sunt, antea enim regno Dei indigni iudicabantur. Deus sedet super thronum sanctum suum. Omnis thronus gloriam significat, & requiem. Et quoniam Deus antea non celebrabatur à gentibus, sed à solis angelis & sanctis, gentes gloria Dei destituebantur: nunc uero accedentes fruuntur omnes gloria Dei, & requieuit Deus in gentibus. Quoniam uero etiam hominum thronus gloriam habet, & honorem, quin & requiem, innocentiam autem à peccatis habere non potest, adiunxit, Super thronum sanctum suum. Humana enim omnia unà cum labili, & ad peccandum prompta natura etiam illud extraneum, incertum uel separabile habent, ut in prima Apologia diximus. Dei uero thronus altus, & sublimis sanctusque est, & magnificentiam gloriamque suam habet naturalem & inseparabilem. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham. Qui nam sunt congregati illi principes? Reges terrae, & praesides tam parui quam magni. Et quis nam est Deus Abraham? Num alius est praeter Deum illum uniuersorum, qui creauit caelum, & terram? & propterea Deum Abrahae dixit? Absit blasphemia. Minime. Sed partim quidem Dominum & iudicem uniuersae terrae, qui miseretur & irascitur, uocauit Deum Abrahae, qui illi in deuastatione Sodomarum apparuit, coram quo se terram & cinerem esse iudicauit, qui scilicet erat filius & uerbum Dei, quemadmodum in praecedentibus demonstratum est, & adhuc patebit partim uero, ut quemadmodum Abraham Deo credidit, & reputata est illi

fides ad iusticiam: sic etiam omnibus gentibus, si deserto cultu patris, imò (ut uera dicam) uano & falso, conuersæ fuerint ad Deum uerum, & Christum confessi fuerint filium Dei esse, Deumq; uerum, etiam illis fides ad iusticiam reputabitur, ut & Abrahamæ, & remissæ sunt illis omnes iniquitates, impietas & peccata ipsorum.

Præterea dicente tunc Deo ad Abraham, Patrem multarum gentium constitui te, & in semine tuo benedicentur omnes gentes: præuidens id quidem Dauid, quòd Dei sermo ad Abraham factus, nondum impletus esset (nam omnes gentes ad fidem conuersæ, filij Abrahamæ facti sunt) & quòd gentes per fidem in Christum, qui est semen Abrahamæ secundum carnem, qui & ipsius Dauidis regis est filius, saluandæ essent, dixit, Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: in memoriam reuocans omnibus hominibus olim factam ipsius Abrahamæ coram Deo adorationem, & Dei ad illum promissionem: & impletus uoluptate inenarrabili propheta, dixit: Psallite Deo nostro, psallite. Psallite regi nostro, psallite. Omnes gentes plaudite manibus. Deinde uerò docens dixit, Psallite prudenter. Quid nam hoc est, Psallite prudenter? id est, cordate, sapienter, cum uera scientia cognoscite quæ dicuntur, cognoscite inquam ea quæ fiunt, nec complodite manus uestras illicito & turbato modo, ut in commestationibus manibus plaudere solent insanientes: sed cum didiceritis antè undè nam hæc uictoria, undè libertas, undè hæc salus, exhibete magnificentiam, exhibete gratiarum actionem Deo auctori uictoriæ. Plaudite manibus, edite uocem laudis & exultationis ipsi Deo Abraham: id est, illi qui enatus est ex semine Abrahamæ secundum carnem, quem annunciauerunt omnes prophetae, quem demonstraerunt, quem confessi sunt Deum & hominem, qui sedit super thronum suum sanctum, hominem scilicet, quem ex diua assumpsit Virgine modo supernaturali. Psallite prudenter, in profundum animi nimirum uestri recondite, respicite repositam in propheticis oraculis coelestem margaritam, quæ à multis tanquam in ostreis honorata est. Psallite prudenter: thesaurus enim inexhaustus intra manus uestras est, quem euolutis patrum uaticinijs inuenietis, qui est Christus filius & uerbum Dei, creator omnis creaturæ. Verbo enim Domini coeli confirmati sunt, & spiritu oris sui omnis uirtus illorum. Vides ne quomodo nunc quidem Deum appellat Dauid, nunc uerò Deum & hominem: nunc etiam uerbum Dei, nunc etiam creatorem omnis creaturæ? Cum enim coeli creatorem dixit, omnis creaturæ creatorem esse declarauit. Qui enim coelos fecit, idem est qui creauit angelos & homines:

Et Moses quidem inquit, In principio creauit Deus coelum & terram: Dauid autem, Verbo (inquit) Domini coeli firmati sunt. Certè quem Mahometh uerbum Dei uocat, & Musulmani omnes, quem omnes Christiani ceu uerbum Dei & Deum adorant, de hoc eodem Dauid dicit, quod coelos firmauerit: id est, creauerit. de hoc eodem Moses dicit, quod in principio condiderit coelum & terram. Et quis tam stultus est ut dubitet, nec eum adoret, quem Dauid Deum esse prædicat? quem Moses Deum esse fatetur? Tu uerò cum de coelis audis, non est quod plures coelos esse existimes, sed unum, & non plures. Interpres enim Hebraicam

braicam phrasim secutus, iuxta illius leges & consuetudinem pluraliter transtulit. Videamus uerò de quibus nam David hæc dicat: Cuius fortes terræ ualde eleuati sunt. Qui nam? Discipuli illius pauci, qui modò erant humiles, indocti & rudes, nunc uero doctores totius orbis: qui persecutionem sustinuerunt ab omnibus, qui iniurijs affecti, qui colaphis caesi, qui non habebant quò caput reclinarent, nunc sublimes & magni uidentur, & fortes Dei, & ad honoris fastigium eleuati. Omnes enim principes, omnes satrapæ, omnes reges terræ post Deum apostolos habent aduocatos, ipsosq; doctores & duces salutis suæ confitentur. Apostoli enim docuerunt euangelium omnem creaturam, miraculis simul illud comprobantes, ut diximus: & qui prius persecutores erant nominis Christi, nunc pro illo uitam deponunt: & qui prius in illum calumnias & tyrannidem exercebant, nunc per Christum & apostolos facti sunt pastores, doctores, & orbis luminaria ipso sole splendidiora: & qui modo idolorum erant cultores, nunc Christi sunt martyres, & accepta à Deo gratia (ut dictum est) miracula edere conspiciuntur. Martyres enim non uiui modò miracula & prodigia edebant, quibus uisis idololatræ obstupuerunt, sed etiam post mortem magna & stupenda miracula ediderunt. Viui enim adhuc in tyrannorum conspectu interrogabant idola, dicentes: In nomine Christi dicite ueritatem. Et responderunt idola, Christus est Deus uerus. Infideles autem his auditis magna uoce exclamabant, Magnus est Deus Christianorum, magna etiam fides ipsorum, & in Christum crediderunt. Et quidem quod omnes martyres Christi miracula ediderint, quæ propter nimiam copiam nunc omittuntur, constat. uerumtamen è multis non pauca ab illius seculi scriptoribus collecta sunt, è quibus & hoc unum fuerit. Christi martyr Georgius, qui à nobis Christiani colitur (quem etiam ipsi Musulmani in honore habent, & ab illis Cheter Eliaz dicitur) tormentis & quæstionibus excruciatuſ est ab impijs & idololatræ, ut Christum abnegaret, & illorum Deos coleret adoraretq;. Hic uerò maluit infinitas mortes & infinita tormenta pro nomine Christi sustinere, quàm fidem suam in Christum reiicere. Multis igitur tormentis & supplicijs excruciatuſ martyr, dicit tyranno: Euntes uideamus deos uestros. Hic uerò hoc audito, ualde gauisus est, existimans hunc dijs suis esse sacrificaturum. Omnibus uerò simul profectis, & tyranno quoq; cum turba sua hunc comitante, martyr Georgius ad aram accessit, & dicit uoce magna, In nomine Christi, o idola muta, ueritatem dicite. Quis nam Deus uerus est? Et repente idola loquendi facultate donata, dixerunt, Christus filius Dei, & huius pater Deus. Et rursum adiecit martyr: In nomine Christi terræ illiſa cõteramini. Et ipso effectu uerbum hoc comitante, omnia idola in terram conciderunt, & confrac̄ta sunt. Hominum uero turba hoc miraculo uiso, magna & clara uoce exclamauerunt, Magna est fides Christianorum, & magnus est Deus Georgij.

Audiant, qui in Christum non credunt, & confundantur, quod pater mendacij diabolus uerum oculere non potuit, sed à sancto increpatus, & à ueritate ceu flagellatus, Christum Deum esse uerum confessus est.

Qui uerò non credunt, tanquàm in densissimis tenebris errantes obambulant. Porrò Christo adhuc in terris agente, attulerunt ei parentes quidam filium qui dæmonio agitabatur, & orabant eum ut illum sana-

ret. Dæmon uerò, qui hominem occupauerat, uiso Christo exclamauit, dicens: Quid mihi tecum rei est fili Dei? Venisti ante tempus ad affligendum nos. Non enim unus tantum in homine erat diabolus, sed multi. Cum autem Iesus hunc inire pararet, ex homine digressi sunt, & sanitati restitutus est. Quem igitur Deus ipse testatus est, quem prædicauerunt prophetae, in quem uniuersus orbis credidit, quem & ipsi dæmones licet inuiti Deum esse confessi sunt, cuius nomen horrent & tremunt, hunc inquam, qui non confitentur, non ne stulti sunt & seducti? Omnino certe. Tunc itaque implebitur in illis propheticum illud Dauidis oraculum: *psal. 48* Homo in honore existens, non intellexit, comparatus est iumentis brutis, & similis his factus est. Et sanè foelices essent, si pro brutis haberentur animalibus. Hæc enim cum non peccent, nec pœnam etiam daturam sunt. Væ autem in Christum non credentibus: utinam non curati essent homines isti.

Post mortem uerò martyrum concurrerunt ad sepulchra, & monumenta horum homines, & sanati sunt à morbis suis. Cæterum usque ad hodiernum diem infinita eduntur miracula circa sepulchra martyrum, & aliorum sanctorum, qui iuxta Euangelij præcepta uitam suam instituerunt. Quin & nunc modum non habent Dei homines, qui salutis studiosi sunt, & quidam agunt in montibus, illi uerò in speluncis, alij cum hominibus conuersantur, & uirtutem habent potentiamque edendi miracula, & edunt. Quid uerò tibi uidetur? Num propter falsum, fictum, & fucati Dei nomen cooperatus est duodecim apostolis Deus, indoctis illis, & rudibus, per infinita miracula, & conuertit uniuersum orbem ad fidem Christi, & Dei cognitionem, frenumque iniecit rhetoribus, & philosophis? Et quis tam miser qui hoc dixerit? Nobilissimæ enim omnium creaturarum sunt, angelus & homo. Cæterum & angelus, cum animo suo diuinitatem affectaret, à propria gloria excidit, & ex angelo diabolus factus est, & ex luce in tenebras mutatus. Similiter & homo, cum sanctus esset, & paradysum incoleret, postquam diuinitatem affectare coepit, en statim è sancto peccator comparuit, & paradiso expulsus, ad terræ culturam condemnatus est. Et, quod calamitosissimum est, qui immortalis erat creatus, morti subiectus est, & audiuit: In sudore uultus tui comedes panem tuum: & quia terra es, in terram reuertèris. Sed quid de angelo & Adamo dicimus, quod propter diuinitatis affectationem hæc modo dicta passi sint, cum uel hi qui Mosi se opponere audebant, & incensum Deo offerre religionis gratia, quod non illis, sed solis licebat sacerdotibus, terræ hiatus aperto absorpti sint: Dathan nimirum, Abiron, & Core? Emicuit etiam ignis è terra, & combussit Ophnem & Phinees. Sacrificauit Ozias Iudæorum rex, & repentina lepra mulctatus est. Vides igitur, ut cum omne peccatum Deus ad tempus ferre soleat, & peccatoris pœnitentiam expectare, hanc solam audaciam non fert, sed eo ipso momento Dei indignatio & ira in huiusmodi audentem oboritur.

Quandoquidem igitur, ut demonstratum est, Deus apostolis cooperatus est, & martyribus, in fidei Christianæ cōprobatione, qui in Christum non credit, non credit Deo. Sic enim ipse Christus in Euāgelij dixit: Qui non credit filio, nec patri credit: & qui non habet filiū, nec patrem habet. Quod si igitur Christus

filius non erat Deus, nec Dei filius, sed temeritate quadam hæc dicere ausus fuit, an non eadem pati debebat, quæ diabolus & Adam passi sunt? Sed cum Deus esset uerus, aperte omnes docuit, ut puram ueritatem agnoscerent, quin potius illius diuinitatem. Quâdoquidem igitur planè & confidenter se Deum esse dixit, & filium Dei altissimi: nec in abscondito & angulo obscuro, sed in medio omnium hoc dixit: cum denique & ipse Mahomet omnesque Musulmani confiteantur Christum uerbum Dei esse, & spiritum Dei, & animam Dei, omnes etiam Musulmani hac religione tenentur, ut sine omni dubitatione & curiosa inquisitione credant, sicuti de seipso Christus testatus est. Porro miraculo, quod annuatim Hierosolymis iuxta Christi sepulchrum tempore resurrectionis illius contingit, ut ipse nouisti, numquid contradicere potes? Non ignoras enim, quod Dei sic permittente iudicio, loco illi sancto Musulmani dominantur, & circa tempus resurrectionis Christi multam magnamque curam adhibent, & diligentiam, ne ullum aliquod lumen ardens conspiciatur. Fit igitur hoc sine omni contouersia diligentissimè. Eo autem temporis articulo, quo Christiani, qui illic agunt, hymnum de Christi resurrectione compositum decantant, lumen cælo delabatur, uidente hoc Musulmanorum principe qui interea temporis ibi commoratur, incendens tres illas, quæ Christi sepulchro astant, lampades. Quid igitur tibi uideatur? Num falso dixit Christus se Deum esse, & Dei filium? Falso ne hoc Christiani credunt? Quomodo igitur eadem hora, quæ illi Christum, ut diximus, Deum & Dei filium decantant, & creatorem omnis creaturæ, in copiosiore nimirum miraculi assertionem expositionemque, testante simul Deo hoc uerum esse, lumen cælitus delapsum, lampades (ut dictum est) circa Christi sepulchrum astantes, incendit? Quemadmodum enim in Iordane cum Christus baptizaretur, uox cælitus descendit, dicens, Hic est filius meus dilectus, Christum denotans: sic tempore supra memorato lumen cælitus delabatur, asserens & testificans omnibus tam fidelibus quam infidelibus, quod ipse sit Christus, filius & uerbum Dei, uerus Deus & homo. Quis igitur tam miser, ut illum non adoret, & Deum esse confiteatur, & filium uerbumque Dei? Si autem fortasse multum indagando his (ut nimirum fieri solet) contradixerint, Christum hæc falso locutum esse, quid nam alia accusatione opus est? Ipsi enim seipsum incusant, si eum, quem uerbum Dei, spiritum & animam Dei esse confitentur, mentiri dixerint. Quomodo autem possibile est, ut uerbum Dei mentiatur? Agnoscentes igitur infirmitatem suam, huc confugiunt, dicentes, quod Christiani Christum nimirum honoraturi dicant, hunc de seipso dixisse, quod filius Dei sit. Cum tamen hoc non ueritati consentaneum, sed calumnia sit. Christus enim non modo non dixit hoc, neque docuit, sed etiam à Iudæis interrogatus, negauit, dicens: Nō sum, uerum uos hoc dicitis. Et hic quidem uester prætextus est, & suffugium. Quidam enim Christum iniuria affecturi, manifestè hoc facere non potuerunt, timentes nimirum publicam subire hominum condemnationem: quapropter alia finxerunt ex alijs. Cæterum quotquot ueritatis studiosi sunt, sciant ipsum Christum proprijs labijs non semel dixisse, bis uel aut ter, sed sæpius, totumque ferè Euangelium hoc unum dicit & docet, ut nimirum intelligant homines, solum & uerum Deum & filiū, quem ante omnia secula, uerum Deū genuit. Totius enim Euangelij finis & scopus hic est, ut scilicet omnis homo sese ab impietate ad Dei religionem conuertat, ut dictum est, & ut homi-

nes opera faciant salute digna. Quapropter Christus quotidie hoc dixit, & docuit, quod ab illo excipientes Apostoli Euangelium conscripserunt, & docuerunt in orbe uniuerso: & propter hanc doctrinam, Euangelium & dogmata, occubuerunt ipsi simul, & martyres. Porro & alij quidam haereticorum de Christo dixerunt, quod Christus reuera quidem ante omnem fuerit creaturam, quodque angelorum & Adami creator sit, coeli etiam, & terrae, omnisque creaturae: quod reuera sic, & non aliter est: eundem uero filium Dei esse negauerunt. Qui sane haereticorum multum damni uerae fidei confessoribus intulerunt. Qui enim illo tempore imperio praerant, illorum astipulabatur sententiae, illorumque partes fouebat, & adiuuabat in tali dogmate. Quod si hi Euangelium summa ueneratione prosequentes, demonstrare poterant, nusquam de se se Christum dixisse quod Deus sit, & Dei filius, quae nam alia probatione opus erat quam haec? Haec enim uel sola seruauisset eos praeceteris argumentis omnibus. Caeterum Euangelium in precio habebant, & amplectebantur, sanctumque nominabant, & legentes hoc perpetuo cum prophetarum scriptis miserrimi homines, nihilominus haec ridicula et stulta protulerunt. Et alij quidem in hac haeresi diem obierunt, & anathemate tenentur, alij uero uiuunt & Aegyptum incolunt, Arrianique, Iacobitae, & Nestoriani dicuntur. Interrogentur itaque hi, & fatebuntur ueritatem omnem, quod Euangelium tale ab initio scriptum sit, quale hodierno die extat.

Dicitis praeterea, Christianos in Deos credere personas, Patrem, matrem, & filium. Et quoniam in omnibus quae Christianorum dogmata spectant, prophanus es, ut in alijs, sic etiam hic erras. Sed audi. Nos equidem, qui Christum profiteamur, unum Deum adoramus, creatorem omnium, uisibilem & inuisibilem: huiusque uerbum & filium, Christum scilicet. Haec uera sunt, nec sentimus aliter. Talem enim hunc credimus, & fatemur. Diuam uero uirginem Mariam, creaturam Dei iudicamus, & Dei ancillam. Credimus autem, & confitemur, quod huic similis homo nec natus sit, nec posthac ex uiro & muliere nasciturus usque ad consummationem saeculi. Et secundum humanam quidem naturam eam angelis inferiorem esse iudicamus, tanquam hominem: honore autem & sanctimonia ipsam omnibus angelis indubie praeferrimus, eo quod uerbum & filium Dei secundum carnem pepererit: omnesque nos illam aduocatam & auxiliatricem agnoscimus. Orat & intercedit indelineriter pro peccatoribus. Miracula edit, & operatur admiratione & stupore digna. Hanc autem colimus non ut deum, sed ut matrem filij Dei secundum carnem. Caeterum anathema sit, quisquis uel duos uel tres plures uel Deos adorauerit. Sed adoramus unum Deum, creatorem coeli & terrae, omnium uisibilem & inuisibilem.

Afferitis in accusationem nostri, quod Christus a Iudaeis interrogatus, Num filius Dei es: negauerit, dicens: Vos hoc dicitis. Et hoc testimonij loco contra nos adducitis, ut ijs quae a uobis dicta sunt, fidem facere possitis. Haec autem propter scripturarum ignorantiam facitis. Si enim scripturas, ut fieri omnino oportet, excuteretis, inuestigaretisque, nequaquam seduceremini. Nunc autem nos accusatis de his, quae uos ipsi non intelligitis. Veruntamen omitam dicere in presenti, quae ab initio mundi de Christo testimonia dicta sunt, ipsum & Deum et Dei filium hominemque esse comprobantia: quia multa sunt. Quare his praeteritis dicemus singularia quaedam. Simul & hoc dico, Iudeos non alia de causa Christum crucifixisse, quam quod se Deum diceret, & hominem,

nem Dei que filium. Et alicubi quidem dicebat: Qui me uidet, uidet patrem meum. Alibi uerò, Ego & pater unum sumus. Rursus alio in loco, Si me nouissetis, & patrem meum utique cognouissetis. Item: Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum. Et alibi, Remittentur tibi peccata tua. Que omnia perpendentes Iudæi dicebant, Quem nã teipsum facis? cum homo sis, facis te Deum. Quid uerò Christus? Qui credit in me, etiamsi moriatur, uiuet. Et quemadmodum pater suscitatur mortuos, & uiuificat: sic & filius, quos uoluerit, uiuificat. Et nemo uidit filium, nisi pater: nec patrem aliquis uidit, nisi filius, & cui filius uoluerit reuelare. Christus igitur hæc dicens, docensq; homines, interrogatus ueritatem celaret? Et quis uel infans uel stultus hoc crederet? Si enim non erat Deus, nec Dei filius, non utique discipuli eius ab illo interrogati, quem me dicunt homines esse filium hominis? dixissent illi, Alij quidem te dicunt esse Heliam, alij Ieremiam, uel unum prophetarum. Et dixit illis Christus, Vos uerò quem me dicitis esse? Et respondens Petrus, dixit illi: Tu es Christus, filius Dei uiuentis. Dixisset tunc Christus Petro: Errauisti, impie locutus es, & peruersè. Non enim filius Dei sum. Cum enim præceptor illorum Christus esset, ecquid aliud quàm ueritatem erat illos doctorus? Quid autem Christus Simoni Petro respondet? Beatus es Simon fili Iona. Quoniam caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est. Christus uerò non quasi ignorans interrogauit Petrum, quem nam illum esse dicerent homines: sed quemadmodum de Lazaro priusquàm moreretur dicebat, Lazarus amicus noster mortuus est, sed ab eo, & suscitabo illum. Profectus uero illuc interrogabat, Vbi posuistis eum? Deinde cum authoritate dixit: Lazare, exi foras. Et obediuit exanimis uerbo Domini, ut inquam Christus hæc fecit, ostendens suam diuinitatem, & humanitatem: sic etiam nunc interrogauit discipulos, ut ostenderet se Deum esse & hominem, & ut à paruis initijs ad fastigiũ ueritatis perducerentur. Cæterum post ipsam quoq; resurrectionem, quid nam Thomas dixit, qui & ipse unus erat è duodecim discipulis? Qui contrectato Christi latere, planissime idem dixit: Dominus meus, & Deus meus. Quid autem illi Christus? Non dicit, Desine blasphemare. Sed quid? Quia uidisti me, credidisti. Beati qui non uident, & credunt. Quin in prædicationis initio, quid nam Nathanael ad Christum dicit? Ipse enim Nathanael legis doctor erat apud Iudæos, ueniensq; ad Christum, interrogauit eum quæcunque uoluit & cupiebat: cum uerò ex Christo etiam ea cognouisset, quæ animo suo occultata tegebat, dicit ad Iesum, Tu es ille filius Dei, Tu es ille rex Izraelis. Num autem hunc Christus ceu male dicentem increpuit? Nequaquam. Quid uerò? Dicit illi Christus, quia dixi tibi quæ corde occultata tegebas, credis. Maiora his uidebis: Et cum Christus à Pilato interrogatus dixit, Tu dixisti: non negationis formula est, sed affirmationis, & confessionis, qua etiam ad Iudam usus est. Cum enim cum discipulis suis discubisset, dixit ad eos, Unus uestrum prodet me. Et dixerunt singuli de sese, Num ego sum Domine? & alius, Num ego sum? Dixit tandem & Iudas, Num ego sum? Dicit Christus, Tu dixisti. Hæc sanè non negandi figura, sed affirmandi erat, qua eadem Pilato respondit. Formula enim erat illi genti peculiaris, qua etiam ceu uulgari & usitata Christus usus est. Quemadmodum etiam apud Musulmanos frequenter in usu est, Si enim quis dicat alterum consulendo, Faciemus ne hoc aut illud? Tunc

Ioan. 14
Ioan. 10
Ioan. 8
Ioan. 8
Matth. 9
Ioan. 10
Ioan. 12
Ioan. 5
Matth. 12

Matth. 16

Ioan. 20

Ioan. 8

Tūc pro eo quod alter dicere debebat, Fiat: dicit, Tu nouisti. Neq; hoc negā-
 di, sed assentiendi formula est. Ita & Christus hac illis usitata formula, Tu di-
 xisti, usus est. Nihilominus tamen Pilatus interrogauit Christū, dicēs, Tu ne
 es rex Iudæorū? Respondit illi Iesus, Regnum meum non est ex hoc mun-
 do. Si ex hoc mūdo esset regnū meū, ministri utiq; mei pugnaret pro me, ne
 Iudæis traderer. Nunc autē regnū meū non est hīc. Dixit illi Pilatus, Nū igit
 rex es tu? Respōdit Iesus, Tu dicis me regē esse. Ego in hoc natus sum, & pro-
 pterea in mundum ueni, ut testimonium feram ueritati, Omnis qui ex uerita-
 te est, audit uocem meā. Dicit illi Pilatus, Quid est ueritas? Vides ne quomo-
 do idem hic planius demonstratum est? Christus omnino se regem esse com-
 probauit, & a Pilato interrogatus idem hoc respondit. Nam pro eo quod di-
 xisset, Certe rex sum: dixit, Tu dicis me regem esse. Quid ergo Pilatus respon-
 det Christo dicenti, Ego in hoc natus sum, & propterea in mundum ueni ut
 testimonium feram ueritati? Dicit illi, Quid est ueritas? Quasi dicat, Si in mū-
 do esset ueritas, nequaquam esses traditus in mortem: & quasi deplorans ue-
 ritatis interitum dixit, Quid est ueritas? Ceterum a principe sacerdotum
 quoq; interrogatus Christus, Adiuro te per Deum uiuentem ut nobis dicas,
 nū tu sis filius Dei: nihil aliud respōdit, quam Ego sum. Vides ne quomodo
 de rebus sibi incognitis Musulmani homines laude dignos accusent. En nūc
 igit, si quidem ueritatem inquiris, ipsam agnoscito: nūc etenim nouisti. Igno-
 rātia enim non propter ueritatē oboritur, sed propter illos qui eā auersantur.

Ioan. 18

Marc. 14

Exod. 14

Quoniam uerò de cruce etiam nos in superioribus dicturos esse promi-
 simus, nunc quoq; de hac audias. Quemadmodum enim ea quæ Christum
 spectant, ab initio prædicta sunt a Mose, Dauide & prophetis, dicta sunt au-
 tem obscure quodammodo & tectè: ueruntamen sicut de passione & morte
 illius per tot prophetias exposuerunt, sic etiam de cruce. Et nunc qua ratio-
 ne hoc factum sit, perpēditō. Cum Moses Iudæos Aegypto educeret, exiue-
 rūt Aegyptij, & insecuti sunt eos, quos & assecuti sunt apud mare rubrum.
 Hebræi autem timore correpti, de uita desperauerunt. Moses itaq; orauit ad
 Dominum, & dixit illi Deus, Quid clamas ad me? Loquere filiis Izraël, ut ac-
 cingantur. Et tu tolle uirgam tuam, & percute mare, & transibunt filij Izraël
 per siccum. Moses igitur accepta uirga, percussit mare ictu recto, & diuisa est
 aqua maris, et stetit murus a dextris & murus a sinistris, & transiuit omnis po-
 pulus per siccum. Aegyptijs uerò hos persequentibus, et super siccum ingres-
 sis, dixit ad Mosē Dominus, & rursum percussit mare uirga sua, non quidē
 ictu recto, ut prius, sed transuerso: & aqua in locum suum reuersa, submersit
 Aegyptiorum regem Pharaonem cum omnibus curribus suis, & uniuerso
 exercitu. Tunc sanē typus crucis per uirgam Mosi ligneam hoc edidit mira-
 culum, & sectio maris typum crucis designauit, uirga uerò ipsius ligni natu-
 ram. Insuper sicut Moses per typū crucis & ligni per mare liberauit Hebræos
 ex tristi Pharaonis seruitute & tyrannide: sic Christus per crucem & poten-
 tiam illius liberauit hominem ex tristi seruitute, & potestate diaboli. Præ-
 terea discedente Mose cum populo, in quodam loco Mara nuncupato, cum
 non inuenirent aquam ad bibendum (amaræ enim erant aquæ loci illius) o-
 stēdit Deus Mosi lignum, quo in aquas iniecto dulcescere cœperūt, & sic om-
 nis Iudæorum populus saturatus est. Hæc nimirum innuente miraculo,
 quod diaboli, quæ in mundo fuit, amarulentia esset disparitura & immutan-
 da per crucem in magnam dulcedinem, & lætitiā, Porro progrediente Mo-
 se

Exo. 15

se per desertum cum populo, serpentum multitudo in locum quendam incidit, quibus periclitabatur populus. Moses uero Dei iussu fecit serpentem æneum, lignum que rectum terræ infixit, cui serpentem transuersum affixit, omnesque qui à serpentibus icti fuerant, uiso æneo illo, sanabantur: nec uillus erat qui à serpentibus ictus, æneo uiso non sanaretur. Nimirum, & illo miraculo hoc innuente, quod erectum lignum affixus que illi transuersus serpens crucis typum denotabat, æneus que serpens haud dubie Christi typus erat. Quemadmodum enim serpens hic formam quidem serpentis habuit, uenenum uero nequaquam: sic etiam Christus homo quidem erat futurus, sed peccati expers: & quilibet diaboli morsu impetitus, si Christo respectio in illum crediderit, saluabitur: qui uero in illum non respexerit, nec crediderit, propter peccatum morietur. Insuper bello inter Iudæos cum Amalekitis exorto, extendente Mose ad Deum manus suas, Hebræorum milites Amalekitis superiores erant: hoc autem manus demittente, Amalekite Izraëlem repellebant. Præcepit igitur Moses, ut se manus extendentem iuarent, donec in uniuersum deuictus esset Amalek. Ecce etiam hac re manifeste crucis typum præferbat, & eiusdem potentiam. Sed & beatus ille Iacob nepotibus suis benedicturus, manus suas in modum crucis transuersas ipsidem imposuit: crucis typum hac forma ostendens. Porro manifestius clariusque his Deus per prophetam Esaiam dicit: Gentes & reges, qui tibi non seruiert, peribunt, & gentes solitudine desolabuntur, in cupresso pinu & cedro simul, ut glorificent locum sanctum meum, & locum pedum meorum glorificabo. Attende igitur, & uide rem nouam, & admirabilem. Quemadmodum enim Christi passionem prædixerunt propheta, & non solum hanc, uerum etiam eiusdem species, ut Dederunt mihi in cibum fel, & in siti mea potauerunt me aceto, & Perfoderunt manus meas & pedes meos, & diuiserunt uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem, & alia his similia: sic etiam crucis illius typum demonstrauerunt, et quod per hanc abolenda esset diaboli tyrannus. Sed & genus ligni Esaias notauit, dicens: In cupresso, pinu & cedro simul glorifices locum sanctum meum, & locum pedum meorum glorificabo. Ex his enim tribus ligni generibus crux compacta est, unum quidem erectum, secundum transuersum, tertium uero inferius, cui affixi sunt pedes Christi. Dauid uero sic exclamat: Exaltate Dominum Deum uestrum, & adorare scabellum pedum suorum, quoniam sanctus est. Nunc uero de cruce, ea quæ dicta sunt sufficiant. Verum & Iacob benedicens, ut dictum est, filiis Ioseph, manus transuersas illis imposuit, & in modum crucis ipsidem benedixit. Præuidentes enim propheta, quod per crucem mors esset abolenda, & deijciendus diabolus, prophetauerunt de hac, hanc adorauerunt, & ceu à longinquo illam uenerati sunt, ueluti & nos in præsentia facimus.

Num. 21

Exod. 17

Gen. 49

Esa. 60

Psal. 99

Post alia uero crimina, quibus à Musulmanis nos qui Christum profite-mur, accusamur, etiam in hoc ab ipsidem condemnatur, quod sanctorum adoremus imagines. Et quid adoramus? Prorsus non aliud quam ligna, colores & lapides. Quoniam uero omnia de quibus accusauerunt nos, non intellexerunt, sed iuxta cogitationes cordis sui dixerunt hæc omnia: idem nunc etiam fit, quod imagines attinet. Quod si uero ueritatis studio teneris, audi quæso. Deus cum humani ingenij lubricitatem cognitam haberet, præcepit in ueteri Testamento ut sacerdotes miracula ab illo edita describerent, eaque descripta semper à sacerdotum penderent manibus: ut quotidie tam sacerdotes quam

f popu-

populus uisis miraculis Dei descriptis, quæ per illos cõtingerant, in memoriã Dei reuocarentur, Deoq; gratiarum actionem & gloriam redderent, qui illos ex seruitute Pharaonis liberauerat, & deuicerat reges magnos & fortes, gentesq; robustas, quiq; urbes illorum populo Iudæorum tradiderat, quin & miracula per illos in deserto edidisset. Et factum est sicut præcepit illis Dominus. uidentes enim, quæ in sacerdotum manibus suspensa erant, Dei recordati sunt, & illi gratias egerunt. Eadem autem imaginum est ratio. Depingunt Christi natiuitatem, baptismum, crucem, resurrectionem: & uisis his turbæ hominum in Dei recordationem perueniunt, & meditari incipiunt, quomodo Christus, cum Deus esset, propter humani generis amorem carnẽ assumperit, & in carne passus sit, quæcunq; item alia Deus propter hominem fecerit, hinc illi gratias agunt, eum extollunt & glorificant. Quod idem in imagine Diuæ uirginis contingit, quæ filium & uerbum Dei secundum carnem peperit: tum quoque martyrum & sanctorum omnium. Et honorem imaginibus tribuimus, propter charitatem & honorem illorum, quibus imaginæ sunt positæ. Et quemadmodum olim Romæ, & alibi statuas ponebant uetustorum regum memoriæ, & imperatorum, statuis quæ uisis recordabantur egregiorum facinorum, quæ per has suggerebantur, & per imaginum magnificentiam et honorem in recordationem fortium gestorum ducebantur, illaq; uenerabantur, sicut in Regum statuis, ita in imaginibus contingit. Hæ enim perducentes animum nostrum ad ipsa illarum exemplaria, illorum ueneramur imagines. Et quemadmodum fieri solet, si regis mandatum perferatur ad aliquem (si modo moribus institutus fuerit, qui hoc suscipit) statim assurgit, & non modo amplexatur, sed & capiti illud imponit: nec tamen atramentum & chartam sic uenerari sibi uidetur, sed regi istum honorem tribuit. Eadem nobis est imaginum ratio. Quæ enim in columnis & tabulis prostant, à nobis coluntur: uetustate uero corruptas & abilitas, non amplius honoramus, sed iudicamus inutiles. Idem quoq; de cruce uidere licet. Quam diu enim lignum aliquod crucis figuram prætulit, adoratur, & honeste à nobis colitur: crucis autem figura cõfracta, ulterius lignum à nobis non adoratur. Verumtamen hoc exemplo tu & quilibet alius, qui inquirere uolet, deprehendere potest, quod quæ in urbibus usurpantur nominata, Christi imaginem insculptam, & formatam gerunt, quin & sanctæ matris illius, & aliorum sanctorum: non tamen propterea à nobis adorantur, nec propterea honor aliquis illis habetur: abijciuntur enim nunquam, & conculcantur, constantur item, & ex forma una mutantur in aliam, prout magistratus uoluntas decreuerit. Sed imaginibus, quæ nominatim sanctorum memoriæ dedicatæ sunt, non idem contingit: uerum cum honore, deuotione, et religione illas accedimus. Videntur itaq; mihi demonstrationes hæ sufficientes esse, quæ demonstrent simul, & dilucide ueritatem asserant. Hanc igitur qui uolet, agnoscat. Quod si autem rursus ueteris testamenti requiris testimonia, ut & in superioribus, en etiam illa accipe. Deus Mosi præcipiens, ut tabernaculum testimonij extrueret, iuxta formam sibi in monte propositam, tum etiam arcam, quæ sanè Christi & sanctæ matris illius typum præferrebat (quæ quidem propter prolixitatem scripturæ, & interpretationis uolentes, ut etiam in alijs plurimis, omittimus) præcepit illi ut faceret imagines Cherubim, quæ poneret super arcam. Vides, ut omnia quæ Christianorum sunt, non simplici modo & casu fortuito fiant, sed cum

cum scopo & sine diligenter considerato, dignaꝫ præmeditatione: Quapropter deliste tandem ab importunis & ineptis cauillationibus. Omnia enim quæ Christianos spectant, non casu nec frustra facta sunt, sed diligenti cura, & eximia, à maximo ad minimum usq; & ab eo tempore constituta, descripta & ordinata sunt, quæcunq; contigerunt.

QVOD DOLOSE ET PERNICIOSE

DOCVERIT MACHOMET, ET QVOD LEX ET TESTAMENTUM UETUS NON SINT SUBLATA PER CHRISTUM, SED MAGIS ILLUSTRATA.

Insuper, quod in lege infirmum erat & impossibile,
hoc Euangelium compleuit.

APOLOGIA QVARTA.



vandoquidem de alijs, quorū à uobis Musulmanis nos qui Christum profiteamur, accusamur, abunde satis demonstratum est, adeò ut iam omni reprehensione liberati simus, age quantum superest de reliquis nunc uideamus. Sunt uero hæc. Dixit Deus ipsi Machomet, Omnia feci propter te, & te propter me. Hoc uero Christiani pernegant. Quin & ipsius Machomet nomen scriptum in Euangelio extat, Christo nimirum ad Iudæos sic dicente: Bonum uobis nuncium prædico, ut illud cognoscatis, quorū iam post me uenturus est apostolus & propheta. Idem etiam in Mosis ueteri Testamento scriptum est. Christiani uero inuidia moti, illud ex Euangelio eiecerunt. Cum tamē non in Euangelio tantum, & ueteri testamento Mahometi nomen scriptum inueniatur, sed etiam à dextris throni diuini partibus. Et Musulmanorum fides ab ipso Abraham authore dependet. Christiani quoq; quia Mosis legem transgrediuntur, accusatione & reprehensione digni sunt: ipsi uero Musulmanos accusant, laude dignos et honore. Atqui hæc sunt, de quibus nos Christiani à Musulmanis accusamur. hæc uero sic confutamus. Deus indigus & alicuius rei inopia laborans, deus non est. Sed uerus Deus, creator cœli & terræ & omnium quæ in his creata sunt, quiq; creauit angelos & homines, nulla re prorsus indiget, sola autem bonitate sua & uoluntate creauit omnia. Cum uerò hoc tam firmum sit, ut nemo qui negare possit, inueniatur, impie reuera locutus est Mahomet, quod Deus ad illum dixerit, Omnia creauit propter te, & te propter me. Deus enim nulla re prorsus indiget. Quod uero Musulmanorum fides ad Abraham authorem non possit referri, ueluti Mahomet tradit, ex sua ipsius persona redarguitur. Ipse enim author & legislator est legum huiusmodi. Quod si alius est, demonstretur. Ab Abrahami enim tempore usq; ad Mahomet anni elapsi sunt bis mille quingenti & octuaginta duo, quibus euolutis demum Mahomet ortus est. Musulmanorum igitur fides ab Abraham autore non descendit. Quod si uerò hoc fortasse propter circumcisionem dicitis, age ipse tibi circumcisionis rationem explicabo. Cum uidisset Abraham cœlum, solem, sidera, terram, mare, & quæ in ipsis

f 2 sunt,